

2947

C O D I C E S

2948

pro *Rege* fit oratio, et reliqua usque ad Sacrificii finem. Postea resumitur *ordo anni* usque ad *Adventum*, succedunt *Missae propriae* et *communes de Sanctis*, quae frequentissime rhythmicas habent *Sequentias*, *Orationes* pro variis necessitatibus, demum *Obsequium Defunctorum*. Oblatio panis et vini, ea item, quae Sacerdos in mysteriorum sumtione precatur, multum ab hodie receptis differunt. *Missae in Conceptione beate Marie virginis* Orationes hae sunt: *Deus qui beatam annam matrem genitricis tue fieri voluisti, presta quesumus, ut apud te meritis utriusque matris et filie caelestia gaudia consequamur &c.* *Presentibus sacrificijs quesumus domine intende propicius, ut intercessione beate anne que mater est matris tue. deuotioni nostrae proficiant et saluti. &c.* *Celestibus sacramentis et diuinis epulis vegetati quesumus domine deus noster. ut intercedente beata anna quam matrem esse matris tue confitemur. ad eternam mereamur pertingere consolacionem et pacem &c.*

DCCCXV.

- 38 Codex membranaceus lat. Sec. XIV. expirantis Folior. 216. f. max. literis initialibus, pluribus item marginibus coloribus et auro speciosis est liber liturgicus seu *Missale* ab *Adventu*, ut solet,

exordians. Post *Festum Corporis Christi* insertus est *Ordo Missae*, quem reliqua de *Tempore Officia* excipiunt usque ad *Adventum*. Sequuntur *Festa Sanctorum*, *Missae de Communi*, et alia, quae in hodiernis *Missalibus* habentur. *Fol. 98. pag. aversa* in *Hymno Lauda Sion &c.* pro *quantum potes, tantum aude* legitur *tantum gaude*, et non incongrue *Quod non sapis, quod non vides, pro quod non capis.* *Fol. 99.* *Cantus angelicus Gloria in excelsis &c.* duplex occurrit, alter immixtis *Deiparae* laudibus. In *Canone* oratur etiam pro *Rege*, sed post *Hostiae fractionem* variae preces insertae sunt, quae hodie exolevere. *Fol. 150.* in *Festo Cathedrae S. Petri* Oratio sic incipit: *Deus qui beato petro apostolo tuo collatis clavibus regni caelestis animas ligandi atque solvendi pontificium tradidisti.* *Missae de S. Sixto* *Papa* ad diem VIII. Id. Aug. *fol. 170.* *Benedictio Uve* recentis inserta est. Denique cum *Festa S. Valentini*, *ejusque translationis, Inventionis S. Stephani* et *Nicolai* peculiari solennitate, id est, cum *Sequentiis* post *Epistolas*, celebrentur, recte inferas, *Codicem* hunc usibus *Dioeceseos Pataviensis* deservisse; id quod manifestius evincit *Sequentia Missae S. Valentini* *fol. 145.* ubi legis:

*Gaudet celum inclita  
Presulis ex anima*

*Terra*

2949

## LITURGICI

2950

*Terra meritis, corpore  
Triumphat felix patauia.*

**K**andem *Sequentiam*, uti et *Benedictionem Uvae* Missalia Pataviensia Seculi XVI. initio pluries per *Johannem Winterburger* f. et 4. *Vindobonae* impressa retinent. Recensui ea in *Wiens Buchdrucker-geschicht* 1782. 4. ibid. edita.

DCCCXVI.

22 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 328. f. max. nitide scriptus et coloribus illustratus est *Liber Missalis* in usum Monasterii cujusdam Dioecesis, ut videtur, *Salzburger* exaratus; Fol.

enim 126. p. 2. in Officio Sabbati S. rubrica sic habet: *igitur procedant de choro cum silencio faciente stacione ex utraque parte monasterij in medio vero monasterio aptetur locus et ornentur tapetis et purpura &c.* Quod vero Dioecesi adinet, tam in *Calendario* Codici praefixo et solito pauciora SS. nomina continente festa *Rudberti* et *Virgilii* literis miniatis consignata sunt, quam in *Proprio Missarum de Sanctis fol.* 278. extant peculiare de iis Missae. *Sequentia de S. Rudberti* sic incipit:

*Gloriosa fulget dies  
Exultet Ecclesia  
Angelis hominibus  
Pax et leticia &c.*

Missae, ut alias, incipiunt a *Dominica prima Adventus*. Post Festum Corporis Christi interjiciuntur Missae in *Dedicacione Ecclesie* et in *dedicacione altaris*, *Laus angelica* sive Gloria in excelsis, eaque iterum ad B. Virginem accommodata hoc rubro: *De beata uirgine sancta Maria*. tum *Symbulum Apostolorum*, *Prefationes* per annum, mox *Canon*, ante quem depicta cernitur imago *Servatoris* tribus solum clavis cruci adfixi, et in quo Papae, Episcopi et Regis fit mentio. His absolutis resumuntur Missae de tempore a *Dominica prima post octavam pentecostes*. Missae de SS.

incipiunt a *Fol.* 229. habentque *Sequentias* nunc ut plurimum exoletas, *Missae de Comuni SS.* a *Fol.* 289. pag. 2. *Missae priuatis diebus* a *Fol.* 310. Sunt vero hae pro *Dominica de sancta trinitate*, pro fer. II. *de sapientia eterna*, pro fer. III. *de sancto spiritu*, pro fer. IV. *de angelis*, pro fer. V. *de caritate*, pro fer. VI. *de s. cruce*, pro sabbato *de beata uirgine*. *Officium Defunctorum*, Missae quaedam *speciales* v. g. *pro peccatis*, *pro iter agentibus &c.* et *Orationes*: *pro diuersis necessitatibus* codicem terminant. Has inter *Oratio*: *Deus regnorum omnium et christiani maxime protector*